

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Ehrenfried Eschenbach


**De Obsessis, Tempore Salvatoris Obvenientibus E Principiis Medicis Disserit,  
Festvm Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi Pie Transigendvm Civibus  
Academicis Commendans**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1778?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838116206>

Druck    Freier  Zugang





ZB ME

05. AUG. 1959

● entsäuert

Mell. h.  
2970







83

DE  
OBSESSIS, TEMPORE SALVATORIS OBVENIENTIBVS  
E PRINCIPIIS MEDICIS

DISSERIT,

FESTVM RESVRRECTIONIS  
DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

PIE TRANSIGENDVM

CIVIBVS ACADEMICIS

COMMENDANS,

RECTOR MODERNVS


CHRISTIANVS EHRENFRIED  
ESCHENBACH,

MED. PROF.



ROSTOCHII,  
LITTERIS ADLERIANIS.

1778 o





*Obsessos corporaliter*, id est, homines, in quibus  
angeli mali ita inhabitant, ut corporis quoque  
organorum viresque pro lubitu regant, tempore  
obvenisse eo, quo mundi sospitator inter tel-  
luris incolas vivus ambulavit, quin etiam ali-  
quamdiu postea, Novi foederis scriptura sa-  
cra variis in locis testatur. Hos ipsos homines revera ob-  
sessos fuisse negant, eosque solummodo valetudine quadam  
adversa, ac in specie aut melancholia aut epilepsia, laborasse  
volunt nonnulli, e. g. RICHARD MEAD. Vid. Ej. *Medica sacra*,  
Cap. IX, eumque, quoad medica imprimis, secutus, et recen-  
tissimis annumerandus, HVGO FARMER in *Tract. de Daemo-  
niacis N. T.* Iis tamen alii, praesertim Theologi, contradic-  
cunt, affirmativam sententiam defendantes, quorum argu-  
menta in *Oper. Bibl. Anglic. not. ad Matth. VIII. 31.* brevi-  
ter congregata leguntur. Quod ad MEADIVM in specie attinet,  
ejus asserta haud omni ex parte solido inniti fundamento,  
in sequentibus comparati inter se obsessionis atque morborum  
dictorum effectus evincunt, ita ut hac ratione medica etiam  
principia, rite applicata, obsessionis, de qua sermo, realitatem

A 2

tantum

tantum abest, ut infringant, ut potius eandem tueantur.\*<sup>1</sup>) Pro grammatis interim festivi limitum angustiorum memor, jam historiam solummodo obsessorum duorum, de quibus s. literae locis mox allegandis loquuntur, et morbum, ad quem MEA DIVS istam refert obsessionem, exempli loco exponam, ut amborum differentia pateat.

Effectus obsessionis dictae, seu, quod idem est, actiones obsessorum, qua talium, non, quemadmodum morborum clinicorum effectus, signorum diagnosticorum vices gerentes, necessarii quid secum ducunt; adeoque, in singulis obsessis, nec adsunt omnes, nec iidem observantur; sed potius admodum diversos in diversis obsessis conspicere eos necesse est, quoniam spiritus, eos producens, in edendis iis libere, et circumstantiis accidentalibus convenienter, agendi vi pollet. De obsessis, Matth. VIII. 28. sqq., itemque Marc. V. 1. sqq. et Luc. VIII. 27. sqq. narratis, atque malum diutius passis, sequentes prostant actiones relatae: 1) corpore nudo incedebant, vestimenta admittentes nulla; 2) inter sepulchra, aut in iisdem, inque locis desertis, nec unquam in domo aliqua, commorabantur; 3) se ipsos lapidibus percutiebant, clamantes; 4) corporis robore pollebant maximo, tantoque, ut catenas, ligandi fine iis applicatas, quascunque rumperent, et compedes diffingerent; 5) praetereunte quo vis aggrediebantur truculenti, adeo ut peregrinantium nemo viam publicam vicinam permeare auderet; 6) Servatori appropinquanti obviam currentes, eundem, in humum prostrati, supplices et cum clamore alloquebantur, addito petito, ut ne ipsos crucier;

ad

\*<sup>1</sup>) M E A D. inter alia, haec habet, loc. cit pag. m. 56. „Daemoniorum „ejectiones esse solummodo insaniae depulsiones, multi ideo non cre- „dunt, quod ea, quae hominibus ita affectis contingunt, vi naturae „sieri posse, nequam videantur. At illi sane in re medica nimis „hospites sunt, neque animum satis ad ea attenderunt, quae in aliis „aegritudinibus non minus mirabilia quotidie occurunt.“ Hocque assertum effectibus, quos edunt morsus canis rabidi et gravidarum imaginatio, nec non insanorum atque melancholicorum nonnullorum falsis persuasionibus; quae tamen singula alterius plane sunt loci; corroborare studet.

ad quaestiones ab eodem formatas rite respondebant ; tandemque submisse rogabant , ut, exeundo ex hominibus , Salvator spiritibus obsidentibus , et legionem numero complenti- bus , introitum in vicinam suum gregem permitteret ; 7) hacque permissione imperata , obsidentes spiritus , deferendo ho- mines , confestim ingrediebantur in suos , quorum grex uni- versa , duorum milium numero , in mare proximum cum im- petu sese submergebat .

Cumque MEAD loc. cit. obfessorum nonnullorum actio- nes quasdam enarrans , pag. m. 53. addat : „*Insanorum sunt haec omnia*“ jam recensenda veniunt , quantum eorum ad illu- strandam materiam praesentem facit , signa melancholiae , actio- nibus melancholicorum patentia . eademque tam in auctori- bus pathologicis legenda , quam clinicae medicinae adjumento cognita , comparandi ista cum actionibus obfessorum , de qui- bus jam agitur , fine .

Melancholiae , generatim sumptae , tres dantur gradus sive species . Harumque mitior reliquis est *insania* , quae statum morbosum denotat eum , in quo aeger , rectae rationis usu perfecto haud fruens , vel stupidus observatur , et justum de rebus obviis judicium ferendi facultate destitutus ; hincque , ratiocinandi hunc defectum actionibus variis indecentibus prodens , injurias sibi illatas perfert potius , quam alios laedit : vel de caeteris singulis rite judicans , circa unicam semper ab- errat idaeam ; quo pertinent , qui reges sese , principes , aut divitiarum possessores credunt , licet cogitationum ejusmodi jaeticarum fundamento careant omni ; itemque , qui morbo laborare aliquo pertinaciter sibi persuadent , etiam si morbus ille nullatenus adsit .

Sequuntur melancholici proprie dicti . Si res olim gratas fastidiant ; solitudinem amant ; quaevis infausta continuo me- tuentes , suspicionibus perpetuis anguntur , quin etiam lachry- mas fundunt sine causa manifesta ; laboriosam respirationem et cordis palpitationes frequentes experti , in suspiria erum-

punt; alimenta vix appetunt, et quandoque aversantur, ceu veneno quodam inquinata, sive virium defectu tandem laborant; insomniis anxiis turbati, somno carent reficiente; confabulationes amicorum fugiunt, ideis suis unice occupati; spectrorum apparitiones sibi imaginantur; de vietu sufficienti pariter, ac de vita aeterna desperant; mortis desiderio tenentur, imo et sibi ipsis quandoque manus inferunt violentas. Hi ipsi melancholici, sub morbi initium, et quamdiu is gradum servat mediocrem, morbum non nisi per intervalla manifesta auctum experiuntur: successu morbi vero, et nimium ingravescentibus paroxysmis, in maniacos transeunt, evanescentibus sic intervallis, vere talibus.

Vltimo loco commemorandi *maniaci*, cogitationum rationalium prorsus incapaces, audacem prae se ferunt et furibundum aspectum; facillimo negotio ira excandescunt; alios laedendi cupidine impelluntur; circa res venereas et alvi excretionem sunt impudici; robore manuum maximo pollent; vestimenta et linteamina, corpus obtegentia, ut plurimum dilacerant; ac, nudo corpore ingredientes, frigus aliasque injurias aëris vix percipiunt, saltem impune ferunt, nec verbera, nec vulnera adeo, quemadmodum sanus quilibet, sentientes.

Quodsi nunc comparentur morborum descriptorum signa cum actionibus obsessorum commemoratorum, in s. scriptura relatis, facile patet, ultimos hosce *quaedam* monstrare et melancholiae proprie dictae et maniae signa, ast *simil alia quaedam*, ad melancholiae generatim sumptae species minime referenda, adeoque obsessioni propria. Sic obsessi iidem vestes negatas, atque hinc pendens corpus denudatum, nec non dolorem, forte et sauciationem, a percussione cum lapidibus, sive haud perceptum, sive spretum, itemque robur praegrande, ac viatores laedendi cupidinem (I. 3. 4. 5.) cum maniacis habebant communia, solitariam autem habitationem (2.) cum melancholicis proprie dictis. Verum et ex altera parte, a) quodquod maniacus robur possideat majus, quam in

in statu sano idem possidebat; usque ad frangendas omnis generis catenas istud non ascendit. Licet namque dentur, qui catenas, caeteroquin sat fortes, diffingant; in nosocomiis tamen bene multi reperiuntur maniaci, catenarum, in casu ruptionis factae prioribus fortiorum adhiberi solitarum, ope sive muro, sive lecto, cuidam affixi, quibus frangendis sunt incapaces. Porro b) maniaci sibi relicti, et libertate eundi ubi vis fruentis, nullatenus est proprietas, viatorem obvium quendam, etiamsi timorem ipsi aliquem incutiat, amice alloqui, multo minus eum, ut ne cruciatum addat, supplici oratione implorare, adque quaestiones justam dare responcionem (6): quae singula de obsessis hisce relata prostant. Tandemque c) nec cum mania, nec cum melancholia proprie dicta, ullo comparatur modo, quod earundem alterutra, hominem deserens, in suis, forte fortuna in vicinia pastos, ingrediatur, ac eosdem, non obstantibus maniacis vicinis hactenus quiete pavulantes, impellat, ut in mare proximum uno impetu, et duorum millium numero, sese submergant (7). Quamvis enim bruta interdum rabie corripiantur; neque tamen morbus hicce suis facile, sed canes potius, lupos, feles, aggreditur; neque ullum prostat in auctoribus exemplum, aut ea numerosa fuisse simul ac semel rabie correpta, quippe rabida non nisi numero vel simplici, vel parco, obvia; aut prae rabie in aquam sese praecipitasse. Terror quoque inopinus, forsan injectus, brutorum quidem gregem, ut discurrant aliquamdiu horsum vorsum ista, impellit, non vero quadrupedes, in copia majori combinatos, in aquam, cum sequente submersione, ad unum omnes adigit. \*)

Ac

\*) TARMERVIS eos merito taxat auctores, qui suis ab obsessis, jamjam sanatis, in mare pulsos volunt. Ejusmodi namque conaminis exsequendi impossibilitatem, missis reliquis, suum naturalis instinctus, vim quandam, ab homine, praesertim ignoto, illatam conjunctis viribus, nec sine aggressoris periculo, repellendi satis declarat. Ipse interim, suis maniam quandam sive rabiem, submersionis causam, a Salvatore miraculose datam esse perhibet, de quo tamen miraculo, a Salvatore edito, scriptura s. penitus sileat.

Ac, quemadmodum partim morbus adest nullus, cuius signa penitus deficiunt; partim, monentibus auctoribus pathologicis, dignoscendos e signis morbos explanantibus, signum unum vel alterum, sive effectus unus aut alter observatus, minime solus testimonium de morbo quodam sufficiens lagitur; quoniam ad declarandum aegrotum, morbo isto corruptum, concursus requiritur effectuum sive signorum completus: partim denique, eundem in finem, alias cuiuslibet rei, ad morbum haud spectantis, accessus exulet, necesse est. Sic, accurate loquendo, obsessi praememorati, nec *insani* merentur appellari, quorum scilicet actiones in illis penitus non reperiuntur: nec *melancholicis* proprie ditis annumerari queunt, cum habitatio in locis desertis, aegro pro ejusmodi melancholico habendo, minime sufficiat sola: nec, maniaci dici pleno jure et simpliciter possunt, quoniam praeter habitationem solitariam, in maniacos haud quadrantem, melancholicis quippe propriam, actiones de illis referuntur quaedam, neque ad melancholiā proprie dictam, neque ad maniam, ulla spectantes ratione: \*) nec quoque ad *morbi intervalla quaedam* forsan provocare licet, quae nimirum manifesta in malo diutius protracto, id quod de obsessione hacce textus sacer asserit, atque in mali gradu tali, qualis in obsessis fuisse legitur, locum amplius non habent: quamvis maniacorum actiones graviores potissimum causa accidente externa occasionali in conspectum veniant. Cumque porro, secundum principia pathologica, specialis quaedam morbi causa ejus conditionem totam permutare queat; cujus rei exemplum orta e contagio venereo, itemque e pestilentiali, ulcera, exanthemata, dolores testantur; atque in obsessis causa accedit supranaturalis: \*\*) aperte

\*) Frustra igitur M E A D, ut probet, obsessos hosce non fuisse, nisi insanos (*insania et mania ipsi sunt unum. idemque*) nonnullas solummodo actiones eorundem recenset, eas scilicet, quas illi cum maniacis habent communia, reliquias pede sicco praeteriens.

\*\*) Repetendum hoc loco e *Progr. de Lepra* est, ei, qui supranaturalis causae in morbis possibilitatem negat, incumbere probationem, quod spiritus aut facultate, aut voluntate, agendi in corpus careat.

aperte elucet, quod, si vel maxime propter signa; cum maniacis communia, *maniacos* vocare obseffos, de quibus agitur, quis velit; mania tamen haec penitus differat a morbo clinico, alias nomine isto insigniri solito, idque propter accedentem causam supranaturalem; id est, quod homines, ab evangelistis descripti, haud fuerint maniaci simpliciter dicti ac consueti; sed maniaci ex obfessione, verbo, *obfessi*.

Ast instant negantes, „certum est, Iudeorum animis „iis temporibus vulgo infedisse opinionem, occupare saepe „homines malos genios, illosque miris modis excruciare, et „quasi furiis agitare — atque — Iudei, si quid miri faceret „natura, ad angelorum supremi DEI ministrorum operam re- „terre soliti, facile in animum sibi inducere poterant, ut diras „quasdam crederent aegritudines, quae mentem simul et cor- „pus laederent, et quarum causas cognoscere nequirent, ab „angelorum malorum ἐνεγκειας exoriri — Et Christus ipse, „cum mulierem quandam, spiritum habentem debilitatis jam „annos duodeviginti, eamque sic incurvam, ut se erigere non „posset, ab illa infirmitate solvisset, more loquendi tum com- „muni dicit: Satanata illam annos duodeviginti vincitam ha- „buisse“ quae sunt ipsa MEADII, ad Philonem et Iosephum ceu testes simul provocantis, verba in *Medic. Sacr.* pag. m. 53. 60. sqq. FARMERVVS quoque totus in eo est, ut partim exemplis ex auctoribus graecis latinisque collectis monstret, quem- nam sensum vocabulis δαιμον, δαιμονιον etc. quae textus etiam sacer habet, ethnici tribuerint; partim evincat, iudeos, tem- pore Salvatoris, sensum eundem vocum harum adoptasse, adeoque *daemonicos* ipsis haud fuisse alios, quam aegrotos in- fania correptos in gradu eminentiori, obfessioni ceu causae adscribi vulgo solito, neque sensum vocabulorum istum Sal- vatorem ejusque discipulos deseruisse, qui quippe mandatum haud acceperint ullum de emendando loquendi usu vulgari et notissimo, aut de systemate quodam medico erigendo.

Verum enim vero, quae MEAD loc. cit. simul adducit, ad probandum assertum, Philonis verba, et cum iis con- tire

tire Iosephum testatur, nil aliud dicunt, quam „credidisse „Iudeos, cum bonos, tum malos angelos, atque bonos DEI „ministeriis fungi, erga homines irreprehensibiles et benefi- „cos, malos autem execrabilis, et modis omnibus noxios.“ Num autem id est, insaniam sive maniam, aut aegritudinem quamcunque diram, naturali modo ortam ac progredientem, diabolo, tanquam causae efficienti, adscribere, erronee licet, nec nisi secundum morem loquendi communem? Et, quoad FARMERVM, vocem *δαιμον* explicantem, praeter reliqua huc spectantia, et in *Oper. Bibl. Angl. loc. cit.* legenda, optimus sine dubio interpres est ipse Salvator, qui sanationem obfessi, Matth. XII, 22. seqq. descripti, contra Pharisaorum calumnias defendens, Satanae meminit: e quo dicto, jungendo, si placet, Matth. IV. 10. aut alium similem locum, eluet, vocibus, *daemon*, *Beelzebub*, *diabolus*, *Satan*, haud aliud quid indicari in s. literis, quam ejusdem generis spiritus, angelos nimirum malos.

Posito interim, quod Iudei morbos rebelles et extraordinarios daemonibus, tanquam auctoribus, frustra licet, adscripserint: minime tamen sequitur exinde, nec ut, propter istum errorem Iudaicum, nulli plane dentur morbi supranaturales, nec ut Salvator, ejusque discipuli, ad huncce errorem sese accommodaverint. His namque singulis evincendis nullatenus sufficiunt fallaciae conclusionum, aut simplex assertio, sed valida opus est probatione, quae tamen nec in MEADIO, nec in ullo auctore alio, idem proferente, reperitur. Praeterea Iudeorum ista opinio, posita ejus realitate, minime omnium animos occupavit, minimeque morem loquendi induxit adeo communem, ac quidem MEAD fidem spondet: eadem potius; exclusis Sadducaeis, qui, existentiam spirituum in genere negantes, obsessionem quoque diabolicam negare cogebantur; paucioribus, ac perpaucis forsan, placuit: cuius rei testimonium praebent luculentum Pharisaei, qui, miraculorum a Salvatore editorum calumniatores, ne syllabam quidem de hac opinione proferunt, sed, quoad obfessos, diaboloruim primarium, Beelzebub, nominatim in auxilium vocant.

Cum

Cum enim Pharisei , ad istius quippe temporis eruditos referendi, et Veteris Testamenti scripturam s. edocti, non potuerint non opinionis vulgaris, si quae adfuit erronea, falsitatem habere perspectam ; in eos perversae cuiuslibet de obsessione opinionis, verba proferenda dirigentis, aut falsae persuasoris ; quam de obsessis, eorundem responsionibus adhaerentem, negativae sententiae fautores affirmant ; suspicio cadere nequit. Quodsi nihil secins, iisdem sententia de obsessionis diabolicae realitate tribuatur negativa ; e qua prono fluit alveo, ut obsessos pro insanis habuerint solis ; verus objectionis eorum sensus hic fuit : „Iste (Salvator) insanias expellit insanias supremae adminiculo“. Num vero et datur insaniarum aliqua princeps, reliquis imperans ? Patet ergo, obsessiones, ab evangelistis relatas, secundum literam, siveque verbo divino decenter , esse sumendas. \*)

\* \* \*

Gratias agamus , Cives nostri ! humillimas debitasque DEO T. O. M. qui , e mortuis educendo magnum pastorem ovium , manifeste eundem declaravit verum Messiam , et humani generis redemptorem , ortum a patribus secundum carnem , ast DEVUM simul , laudandum in sempiternum. Gratias pariter habeamus , quas possumus , maximas Salvatori , qui durante habitatione inter mortales , innumera in eos spargens beneficia , et sanans tam infirmos quam obsessos , nosque liberans a magistratu tenebrarum , passione mortis coronatus est gloria et honore. Cumque Salvator purificaverit sibi populum

\*) E concessa literali obsessionis sensu ; cum nec ingrediens in obsesum , nec egrediens , diabolus in conspectum veniat ; ne scriptura s. cum ratione humana in contradictionem ruat , FARMERV S veretur (translat. german. pag. 315.) Iste interim metus tuto seponitur , donec autores , obsessionem in s. literis affirmatam negantes , illius impossibilitatem , solidioribus , ac fecerunt hucusque , argumentis probatam dederint.

lum proprium, qui diligens esset in operibus bonis: demus operam, ut singulae actiones nostrae placeant Domino nostro, nosque iisdem contestemur participes bonorum, ab illo promeritorum nobis, quo redemtionis factae fructus, et in vita praesente, et futura, uberrimi in nos redundant, nec a filio hominis, e coelis redeunte ad judicium, nostrum aliquis deferasatur. Sit ipsi laus et honor et gloria in secula seculorum!



P. P.


S V B R E C T O R I S S I G I L L O,  
DIE 19. APRILIS 1778.














uod, si vel maxime propter signa ; cum ma-  
a, maniacos vocare obfessios, de quibus agitur,  
a tamen haec penitus differat a morbo clinico,  
o insigniri solito, idque propter accendentem  
turalem ; id est , quod homines , ab evange-  
haud fuerint maniaci simpliciter dicti ac con-  
aci ex obfessione, verbo, obfessi.

negantes , „certum est , Iudeorum animis  
vulgo insedisse opinionem , occupare saepe  
genios , illosque miris modis excruciare , et  
are — atque — Iudei , si quid miri faceret  
elorum supremi DEI ministrorum operam re-  
ile in animum sibi inducere poterant , ut diras  
rent aegritudines , quae mentem simul et cor-  
et quarum causas cognoscere nequirent , ab  
lorum ἐργασίας exoriri — Et Christus ipse ,  
quandam , spiritum habentem debilitatis jam  
rinti , eamque sic incurvam , ut se erigere non  
infirmitate solvisset , more loquendi tum com-  
tanata illam annos duodeviginti vincitam ha-  
nt ipsa MEADII , ad Philonem et Iosephum  
provocantis , verba in *Medic. Sacr.* pag. m. 53.  
RVS quoque totus in eo est , ut partim exem-  
is graecis latinisque collectis monstreret , quem-  
cabulis δάιμον , δαιμονίον etc. quae textus etiam  
nici tribuerint ; partim evincat , iudeos , tem-  
, sensum eundem vocum harum adoptasse ,  
acos ipsis haud fuisse alios , quam aegrotos in-  
in gradu eminentiori , obfessioni seu causae  
olito , neque sensum vocabulorum istum Sal-  
discipulos deseruisse , qui quippe mandatum  
ullum de emendando loquendi usu vulgari et  
e systemate quodam medico erigendo .

im vero , quae MEAD loc. cit. simul adducit ,  
assertum , Philonis verba , et cum iis consen-  
tire